

sunt,) Cephalea & aliis morbis quæ sint excernenda, idem effectus erit expectandus, qvi de Viscidi ubique præsentia estabitur.

## §. 19

Denique Passiones Animæ sese offerunt, ad qvarum obseqvium Spirituum motus vel augetur & rapidius circumagit, vel minuitur & debilitatur; ad hunc Mæror & Tristitia, ad illum Ira & Terror accedit. Duplex iterum hic occurrit modus, qvo rubicunda ac purpurea nostra Tinctura in fuscum & spissum degenerare Extractum potis est, uterque in motu fundatus. Per mœrorem & tristiam ab actionibus animalibus maximam partem Spiritus avocantur, nulla fit ad legem naturæ Chylificatio nec sanguificatio, unde nec Spirituum generatio, in quibus tamen tota ferè sanguinis constitit rarefactio, qvi, si debilitentur, non verò augeantur, decrescit Vigor, fluida in Vappam abeunt. His opponi possent Ira & Terror, si causa è primo urgeretur principio, qvatenus motum excitant rapidissimum, sed si effectus consideretur, non minus Viscidi fient causæ. Ab Ira & terrore enim in motum concitatiorem exagitantur spiritus, cursum accelerant, in alia dum incident corpora, ob resistentiam resiliunt, unde Convulsiones, cum his turbata sanguinis mixtio, qvia particulæ ob vehementem illam alterationem à suo quasi moventur centro; exploduntur etiam extra Corporis spheram & immunuuntur, qvare ferociæ & terreae in sanguine magis concrescunt & pituitam constituunt. Sic è Terrore Virginem Variolas accepisse, in deliquium fæminas conjectas esse, Excell. Pechlinus *Observat. Phys. Med. 23. lib. 3.* notavit; idem *eod. lib. obs. 25.* ex Ira plurimas morborum causas recenset, Epilepticos, Apoplecticos, Paralyticos inde derivans, ita ut in qvacunqve parte exæstuet Ira, post primos insultus, lentrem inducat.

## §. 20.

Ad signa progredimur Diagnostica, illa scilicet tantum, qvæ certo de Viscidi in Corpore humano existentiâ testantur, omissis plane his, quæ sotericam ejus causam minus accuratè explicant. Principalissima sunt, qvæ de Spirituum aut sulphurearum particularum Subjugatione, depravatione & defectu fidem dant; unde Tenor acti-

onum